QUI

LOCI GEORGICIS A VERGILIO

POST A. 725 SINT ADDITI.

SCRIPSIT

JOSEPHUS BRANDL.

PROGRAMMA

GYMNASII REGII ASCHAFFENBURGENSIS

A. MDCCCXCIII.

WIRCEBURGI.

TYPIS H. STUERTZ UNIVERSITATIS TYPOGRAPHIA.

905
2

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HT008191791

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Qui loci Georgicis a Vergilio
post annum 725 sint additi.

Investiganti mihi, quantum inter se imitati essent Vergilius et Horatius atque uter utrius vestigia pressisset quaerenti, cum nonnullos Horatii locos ad similitudinem versuum quorundam Georgicorum accedere liqueret, quibus temporibus absoluta et edita essent Georgica inprimis mihi erat indagandum. Qua in re quamquam me non fugiebat iam multos eosque doctos homines versatos esse, tamen eam retractari non supervacaneum putavi, cum in trita quoque via novi aliquid inveniri posse nemo fere neget.

Iam primum quo quaestio hoc tempore perducta sit disseram[1]).

I.

Omnes fere interpretes anno 725 finita esse Georgica concedunt, quod tradidit Donatus in vita Vergilii 11,42 (p. 61, 1 R.): ‚Georgica reverso post Actiacam victoriam Augusto atque Atellae reficiendarum faucium causa commoranti per continuum quadriduum legit suscipiente Maecenate legendi vicem, quotiens ipse interpellaretur vocis offensione.‘

Sed utrum illo anno 725 Georgica a Vergilio etiam edita sint, an posteriore tempore facta sit altera eaque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

emendatior editio, non intellegitur ex illo Donati loco et in diversas abeunt docti sententias.

Sunt enim qui censeant perfecta esse anno 725 Georgica, sed usque ad annum 729 emendata et hoc demum tempore edita. Quam tenet sententiam Schaperus[2]) p. 72: ‚Statuendum est . . . . Georgica inter belli civilis tumultum 723—725 scripta anno 729 emendata prodisse.‘ Idem fere protulit Borgius[3]) p. 21: ‚Georgica igitur 722—725 scripta esse temporum descriptionibus, quae in ipso carmine inveniuntur, aperte significatur; anni 725—729 emendando tribuendi sunt.‘

Neque desunt, qui Vergilium usque ad extremam vitam Georgicorum emendandorum sibi persuaserint continuasse curam. Ribbeckius proleg. p. 29: ‚Et laetor Peerlcampum Mnemosyne X, 123 mecum sic statuere nunquam desiisse Vergilium Georgica licet absoluta et edita castigare et ad perfectionem magis magisque adducere.‘ Idemque poetam secundis curis nondum perfectis praematura morte absumptum Vario et Tuccae ut carmina cartigatiora ederent mandasse ex his vitae verbis Donati 14,53 (p. 64, 5 R.) conclusit: ‚Ceterum eidem Vario et Tuccae scripta sua ea condicione legavit, ne quid ederent, quod non a se editum esset.‘

Etiam Ladevicus in hanc sententiam concessit[4]), Vossius autem Georgicorum librum primum anno 719, secundum 723 absolutum, sed libro tertio et quarto non ante annum 734 ultimam manum esse impositam sibi probavit. Quocum consentit Tittlerus[5]), Vergilium tantum primum et secundum librum divulgasse, tertium et quartum posteriore tempore scriptos non a poeta esse editos ratus. —

Quibus prolatis primum demonstrandum erit libros Georgicorum, quales nunc habemus, anno 725 in lucem non esse emissos, sed post illum annum retractatos.

Atqui non est cur falso hoc Servium tradidisse putemus ad Eclog. 10, 1: ‚Fuit autem Gallus amicus Vergilii adeo ut quartus Georgicorum liber a medio usque ad finem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eius laudes teneret, quæ postea iubente Augusto in Aristaei fabulam commutavit', et ad Georgic. IV, 1: ‚Sane sciendum ultimam partem huius libri esse mutatam; nam laudes Galli habuit locus ille, qui nunc Orphei fabulam continet, quae inserta est, postquam irato Augusto Gallus occisus est'. Quod firmatur Donati vita p. 60, 5 R.: ‚Verum usque odeo hunc Gallum Vergilius amarat, ut quartus Georgicorum a medio usque ad finem eius laudem contineret: quam postea iubente Augusto in Aristaei fabulam commutavit'.

Haec grammaticorum verba Schaperus ita comprobare studuit, ut subtilissime rem perscrutatus evinceret arte metrica illam fabulam multo praestare ceteris huius carminis partibus, qua ex re libri quarti alteram partem post annum 725 esse scriptam conclusit[6]): ‚Vidimus omnes versus faciendi artes emendatas: elisionis libertatem restrictam, hiatus rationem mutatam, declinatam synaeresis asperitatem, verborum ordines cum elegantiores tum ampliores, caesurarum sedes diligentius servatas, verba numerosius composita, vocabulorum accentus cum numerorum sonis saepius coniunctas. Verum est igitur illud quod antiqui tradiderunt: emendavit Vergilius Georgica, emendatis epicum quoddam de Aristaeo carmen addidit'. —

Ribbeckius quoque sententiam defendit Aristaei fabulam post Galli mortem a. 728 esse additam p. 13.

Porro Maronem uberius quam in aliis Georgicorum partibus hac in fabula Homeri vestigia pressisse apparet versusque totos adumbrasse et transtulisse ex Odyssea et Iliade, ut quo tempore alteram libri quarti partem componebat, facile concludatur poetam iam multum versatum esse in Homeri carminibus, quae tunc maxime illum tractavisse intellegitur, cum iam Aeneidem elaboraret, i. e. post a. 725.

Versus enim Georg. IV, 323:

si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo

adumbratus est ex. ι, 529:

εἰ ἐτεόν γε σός εἰμι, πατὴρ δ' ἐμὸς εὔχεαι εἶναι.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Georg. IV, 333:
at mater sonitum thalamo sub fluminis alti sensit...
ductus ex *P*, 35 et 36:

ἄκουσε δὲ ποτνία μήτηρ
ἡμένη ἐν βένθεσσι ἁλὸς παρὰ πατρὶ γέροντι.

Georg. IV, 433—436:
ipse velut stabuli custos in montibus olim,
vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit,
auditisque lupos acuunt balatibus agni,
considit scopulo medius numerumque recenset
expressi ex *δ* 412—413:

αὔταρ ἐπὴν πάσας πεμπάσσεται ἠδὲ ἴδηται,
λέξεται ἐν μέσσῃσι νομεὺς ὡς πώεσι μήλων . . .

δ, 450:

εὗρε δὲ φώκας
ζατρεφέας, πάσας δ' ἀρ' ἐπώχετο λέκτο δ' ἀριθμόν.

Georg. vero locus IV, 336—344 similis est *P*, 39—49.
Georg. IV, 361:
curvata in montis faciem circumstetit unda
translatus ex *λ*, 243:

πορφύρεον δ' ἄρα κῦμα περιστάθη οὔρεϊ ἴσον.

Georg IV, 395 et 397:
hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem
expediat morbi causam eventusque secundet
translati ex *δ*, 388—389:

τὸν γ' εἴ πως σὺ δύναιο λοχησάμενος λελαβέσθαι,
ὃς κέν τοι εἴπῃσι ὁδὸν καὶ μέτρα κελεύθου.

Amores vero Martis et Veneris in *ϑ* 266 ss. fusius descripti commemorantur v. IV, 346; omnino ex *δ*, 364—383 fabulam quae dicitur Protei mutuatus est Maro; atque more Homerico nonnullos versus repetit:
IV, 538:
quattuor eximios praestanti corpore tauros
540: delige et intacta totidem cervice iuvencas,
544: post ubi nona suos Aurora ostenderit ortus
inferias Orphei Lethaea papavera mittes . .
cum quibus conferendi v. 550 ss:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quattuor eximios praestanti corpore tauros
ducit et intacta totidem cervice invencas
post ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
inferias Orphei mittit lucumque revisit.

Fuerunt quidem et nunc sunt, qui omnino negent verum tradidisse Servium et Donatum[7]).

At primum haudquaquam mirum est et exegisse Vergilium Gallo sibi amicissimo (cfr. Eclog. 6 et 10) Octavianoque gratissimo (Sueton. Octav. 66) monumentum amoris sui et eiecisse illos versus sive sua sponte, ut ex Octaviani animo exstingueret amici mortui memoriam, sive optantibus ipsis Caesare et Maecenate.

Deinde nullo modo intellegi potest, cur illi grammatici ex se commenti sint hanc fabellam, nisi eiusmodi rem evenisse statuimus. Neque diluitur Servii mentio eo quod prioris editionis reliquiae nullae ad nos pervenerunt; nam ‚huic Caesaris imperio ita obtemperatum esse nobis censere licet, ut praeter illam grammaticorum mentionem nullum prioris editionis vestigium usquam remanserit' [8]), (nec pro certo statui potest a. 725 Georgica esse edita) vel si Tittleri sententiam librum tertium et quartum non ante a. 734 esse editos accipimus, omnino Galli landes non esse divulgatas.

Quod vero protulit Thilo[9]), laudationem Galli eam fuisse, ut in Orphei et Eurydices amore celebrando Vergilius Galli carmina imitaretur, id nullo argumento firmari potest; quare falso vir doctissimus conclusisse mihi videtur ex ea imitatione intellegi, cur altera libri quarti ab ceteris Georgicorum partibus prorsus abhorreret. Neque illud argumento est mirifice laudibus Galli imminui laudes principis, cuius virtutes illustrandi cupide arripuerit poeta occasionem. Quid enim? si Octaviani laudes posteriore demum tempore insertae sunt?

II.

Quibus consideratis si liquere videatur mutatum esse post a. 725 librum IV., num alii quoque loci sive mutati sive additi sint quaeramus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tittlerus quidem disserit[10]): „Der Nachweis der späteren Entstehung eines wenn auch nur kleinen Teiles der Georgica gibt ein Recht, auch anderes, was sich bei sorgfältiger Prüfung in den Zeitraum bis 724 nicht fügen will, als späteren Zusatz anzuerkennen."

Et Teuffelius[11]): „Dass bei dieser Gelegenheit (2. Edition) der Dichter auch sonstige Veränderungen vornahm, ist an sich glaublich und manche Spuren weisen positiv darauf hin; tiefgehende können sie jedoch nicht gewesen sein, da noch im jetzigen Bestande keine Zeitandeutung über das Jahr 724 hinausweist."

Similiter Schaperus[12]) et Borgius[13]) excepta altera libri IV. parte ceteros libros prope intactos mansisse statuerunt.

Abhorret ab his Ribbeckius[14]): ‚Sed omnino secundas illas curas non in syllabarum tantum vocularumque flosculis adornandis versatas, sed in rerum quoque enarratione nova vel intulisse vel pro aliis substituisse, ipso Servii de Galli laudibus Orphei fabula mutatis testimonio firmatur.'

Idemque statuunt Ladevicus[15]), Peerlkampus[16]).

Haec et alia id genus docti homines de additameutis vel emendationibus Georgicorum disseruerunt; nunc quid equidem hac in re censeam mihi erit tractandum.

Qui comprobare sibi videntur temporum significationes ultra a. 725 non pertinere, aut rationes reconditas minimeque probabiles afferre, aut adulantem fingere et vaticinantem Vergilium nonnunquam coguntur[17]). Quod in eis potissimum apparet locis, quibus Octaviani laudes continentur; neque dubito statuere omnes illos locos: I, 24—42; I, 503—504; II, 170—171; III, 8—39; IV, 560—566 post a. 725 a poeta esse additos, quam meam his argumentis firmabo sententiam.

Ac primum tenendum est Georgica in honorem Maecenatis eoque iubente esse scripta, quod probatur Donati vita (p. 59 R.): ‚Deinde edidit Georgica in honorem Maecenatis' et Servii (1 L.): ‚Item proposuit Maecenas Georgica, quae scripsit emendavitque septem annis.'

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Et recte huc referuntur v. III, 40—41:

Interea dryadum silvas saltusque sequamur
intactos tua, Maecenas, haud mollia iussa.

Ergo Maro Maecenati, patrimonii defensori et artis fautori Georgica dedicavit eiusque nomen — more poetarum — in primis singulorum librorum versibus posuit.

Optime enim Ribbeckius Hannovii opinione perductus in libro secundo versus 39—46 post versum octavum locavit[18]), et Tittlerus libri tertii versus 40—48, in quibus Maecenatis nomen invenitur, primo post septimum versum locum habuisse evicit[19]).

Porro nemo non intellegit supra modum dilatata esse prooemia libri I. et III. comparatis libri II. et IV. prooemiis et sententiarum nexum eis locis, quibus Augusti laudes continentur (I, 24—42; III, 8—39) sublatis minime turbari, immo magis quadrare, quod infra demonstrabitur. Afuisse igitur concludo Caesaris Octaviani laudem ante a. 725 et posteriore demum tempore esse insertam. Neque enim usquam demonstratum est a principio Maronem ad res Octaviani Georgicis illustrandas spectavisse, quippe quas tum, cum Georgica componeret, epico carmine dicere in animo habuerit, quod apparet ex libri III, v. 46—49:

Mox tamen ardentis accingar dicere pugnas
Caesaris et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Caesar.

III.

Haec quidem universe dixi; nunc disseram de v. I, 24—42.

Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum
concilia incertum est, urbesne invisere, Caesar, 25
terrarumque velis curam, et te maxumus orbis
auctorem frugum tempestatemque potentem
accipiat cingens materna tempora myrto,
an deus immensi venias maris ac tua nautae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

numina sola colant, tibi serviat ultima Thyle 30
teque sibi generum Tethys emat omnibus undis,
anne novum tardis sidus te mensibus addas,
qua locus Erigonen inter chelasque sequentes
panditur (ipse tibi iam bracchia contrahit ardens
scorpius et caeli iusta plus parte relinquit) — 35
quidquid eris (nam te nec sperant Tartara regem
nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,
quamvis Elysios miretur Graecia campos
nec repetita sequi curet Proserpina matrem),
da facilem cursum atque audacibus adnue coeptis 40
ignarosque viae mecum miseratus agrestes
ingredere et votis iam nunc aduesce vocari.

Frankius in fastis Horatianis statuit primum Georgicorum librum seorsum iam a. 719 esse editum; quod a plerisque iam refutatum et obsoletum puto. Nam Ribbeckius p. 17 rem ita exponit: ‚Quod igitur calidius coniecit Frankius . . . . id nunc ita abhorrere intellego a vero, ut eo anno (719) ne ad finem quidem perductum esse illi vel Vossio concedam.‘

Et Schaperus p. 4: ‚Quae in hac extrema parte (libri I.) memorantur, scribi non potuerunt nisi bello inter Octavianum et Antonium orto, h. e. 723,‘ et not. 29: ‚Ipsa verborum magnificentia probatur haec non ad S. Pompeium, Parthos, Gallos, sed ad summum de principatu obtinendo certamen referenda esse‘. Eandem sententiam defendit Borgius p. 17.

Sed licet ante pugnam Actiacam absolutus sit primus liber, idem non concedo de v. 24—42, qui omnino discrepant ab extrema parte eiusdem libri inde a v. 498.

Illic enim (24—42) ad opinionem perducimur Octavianum iam victorem esse omnium adversariorum terrarumque dominum ac deorum concilio dignum; hic (498 ss.) pro eodem preces fundit poeta ut in summis versante periculis. ‚Illis versibus civitas in pace et tranquillitate depingitur, extremis sollicitudine et bellis turbatur‘; 505: tot bella per orbem; 511: saevit toto Mars impius orbe — illic

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nationes exterae prostratae videntur, v. 30: tibi serviat ultima Thyle: hic timorem et periculum hostes parant patriae, v. 509:

hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;

hic ‚fas versum atque nefas' docemur v. 505, illic laudatur iustitia Caesaris v. 32—34; qua ex discrepantia facile ad opinionem adducimur diversis temporibus extremam primi libri partem et v. 24—42 esse scriptos.

In his divinos Octaviano tribui videmus honores; est igitur quaerendum, quibus factis respectis quo tempore Vergilius Caesarem tantopere efferre et ornare potuerit.

Sunt quidem qui censeant spectavisse poetam ad victoriam a. 718 ab Agrippa de S. Pompeio reportata, ex qua Octavianus ‚senatus decreto Novembris initio magnis honoribus auctus in singulis civitatibus inter deos etiam municipales coli coepisset' [20]), quod Appianus firmare videtur b. c. 5, 132: ‚*Καί αὐτόν αἱ πόλεις τοῖς σφετέροις θεοῖς συνίδρυον*'.

Hic vero locus Appiani nimiam vim non habet, si comparamus, quod Dio 51, 20 protulit: ‚*ἐν γάρ τοι τῷ ἄστει αὐτῷ τῇ τε ἄλλῃ Ἰταλίᾳ οὐκ ἔστιν ὅστις τῶν καὶ ἐφ' ὁποσονοῦν λόγου τινός ἀξίων ἐτόλμησε τοῦτο ποιῆσαι* [21]).

Neque illa victoria tanti momenti fuit, qua respecta tamquam deum terra marique potentem Caesarem poeta invocare posset, et altius petita videtur; nam cum non multo ante a. 722 librum primum scriptum esse liqueat, plus quinquennio interiecto ad illam rem Vergilium spectavisse aegre evincetur.

Afferam quae Glaserus de hoc loco disseruit [22]): „Was nun den Umstand betrifft, dass Vergil schon im ersten Buche der Georgica von Octavian wie von einem Gotte redet, was diesen also schon auf seiner höchsten Ruhmesstaffel erscheinen lassen müsse, so kann darin nichts Auffallendes gefunden worden, da Vergil schon in der ersten Ekloge die Benennung ‚deus' mehrmals auf ihn anwendet . . . . um so mehr also konnte der im feinen Schmei-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cheln gewandte Vergil zu Anfang der Georgica jene überschwenglichen Lobsprüche spenden."

Sedhic locus cum ecloga I. nullo modo conferri potest; in illa enim cogitandum est de satis noto veterum usu, ex quo vir divinitus de aliquo meritus non solum ‚deus' ei nuncupabatur, sed etiam inter lares colebatur; in his autem vss. 24—42 Octavianus non solum in deorum numerum refertur, verum etiam ut deus invocatur. Quae vero dicit ille vir doctus: ‚der im feinen Schmeicheln gewandte V.', iis nihil demonstrari nemo non intellegit.

Unus Schaperus recte hoc dicit[23]): ‚Hi versus, nisi victori placere non potuerunt, quia qui ipse tunc (a. 718 vel 723) periclitabatur, nec alteri auxilium ferre neque votis assuescere poterat'. Et si ad certa tempora — id quod fieri necesse est — sensum illorum versuum redigere volumus, multo probabilius referuntur ad senatus consultum a. 725 actum, ‚Octaviani nomen cum nomine deorum in sacris cantibus Saliorum invocandum et laudandum esse' auctore Dione 51, 20: *τούς τε ἱερέας καὶ τὰς ἱερείας ἐν ταῖς ὑπέρ τε τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς εὐχαῖς καὶ ὑπὲρ ἐκείνου ὁμοίως εὔχεσθαι . . . ἐκέλευσαν.*

Porro memineris triplicis triumphi mense Sextili 725 acti (Dio 51, 21) et gloriae ac splendoris, quo victorem orbis terrarum ornatum omnes stupebant et tot tantorumque honorum, quibus ex illo tempore a senatu populoque Romano est auctus (Dio 51, 19; 52, 41. Sueton. Octav. 59; 27) et nominis ‚Augusti' ad illud tempus (727) non nisi deis ac divinis rebus inditi (Dio 52, 16; Sueton. Octav. 6; Florus 4, 12) denique consideres, quantopere familiares ac poetae numen Divi Augusti celebrare ac divulgare studuerint: his omnibus respectis post a. 725 vel 727 demum illos versus a poeta esse compositos concedas.

Pauca dicam de v. 27:

auctoremque frugum tempestamque potentem,

qui et ipse ad tempora a. 725 sequentia referendus est. Franckius quidem p. 23 disserit: ‚In his apte verba, tempestatumque potentem' traxeris ad naufragium, quo Octa-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

viani classis ad Palinurum promontorium vere 718 periclitata est, ita ut poeta bellum adversa fortuna inchoatum ab Octaviano tamquam procellarum mariumque potentem prospere ad finem perductum significaverit'. Quo nescio an nihil perversius dici potuerit. Rectius interpretatur Ribbeckius[24]: ‚frugum igitur tempestatumque potentem eo dici apparet, quod recuperata pace diligenter ac prudenter ab eo cantum iri sperat poeta, ne unquam postea annonae caritate laboret Italia atque Roma'.

At cur sperantem fingat Ribbeckius Vergilium, sane non intellego; nam quo tempore hunc locum scriptum esse concedit (a. 722), eo molestissima illa fames (a. 717) iam dudum sublata erat; anno autem 732 praeter alias calamitates famem quoque iterum ingruisse scimus (Dio 54, 1), ex quo postulante populo Augustus annonae curam recepit; atque id Maronem respexisse mihi persuasum est[25]).

‚Ultima Thyle' v. 30, qua voce Britanniam sine dubio significavit poeta, male revocatur ad a. 720, quo quidem adversus Britannos expeditionem paravit Octavianus (Dio 48, 33), sed non fecit; multo probabilius refertur ad a. 730, quo ad Augustum in Gallia versantem legati venerunt Britanni deditionem indicantes (Dio 53, 22; Strabo 4, 5); optimeque conferri potest v. III, 25:

purpurea intexti tollant aulaea Britanni,

de quo infra tractabitur.

Venio nunc ad versus 32—35:

anne novum tardis sidus te mensibus addas,
qua locus Erigonen inter chelasque sequentes
panditur (ipse tibi iam bracchia contrahit ardens
Scorpius et caeli iusta plus parte relinquit).

Libra poetam Augusto adulari voluisse interpretes consentiunt. Quod si concedimus, quo tempore hi versus scribi potuerint est quaerendum. Atque primum propter redditum praedium aequitatem Octaviani laudasse Maronem reiciamus; nam amicis potissimum Pallioni, Gallo, Maecenati intercedentibus illo beneficio erat obstrictus. Et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

si libero animo rem reputamus, hoc modo poeta Augusto minime adulari potuit. Quidenim, si Caesar reddito praedio in Vergilium aequum se praebuit, de aliis dicemus sescentis, qui patrimonium a veteranis ereptum nunquam recuperaverunt? Nonne in eos inique animadversum esse satis concludi potest? Tam inepte poetam nostrum adulatum esse credere nolimus!

Deinde opprobium immodicae adulationis, immo odium Vergilium subiturum fuisse censendum est, si a. 723—724, vel ut alii statuunt iam a. 718 vel tecte iustitiam celebrasset Caesaris, qui eo tempore, cum flagrarent bella civilia, nulla re deterrebatur, quin propositum consequeretur, seque crudelem et iniustum praestiterat (cfr. Sueton. Octav. 27; 13; 15. Dio 48, 4); tum vero, cum clementia, moderatione, aequitate usus republica pacata ac composita, legum vi et iudiciorum auctoritate restituta (Velleius II, 89) amorem populi sibi conciliaverat (i. e. post a. 725), nemini mirum visum esse puto laudari Octaviani iustitiam.

Exponam nunc de vss. 36—37:

nam te nec sperant Tartara regem,
nec tibi regnandi veniat tam dira cupido.

In codice Palatino scriptum est SPERANT, in cod. Bern. sperant, in cod. Medic. NEC SPERANT, in cod. Gud. nec sperent.

Quo saepius hos versus relego, eo magis ad opinionem adducor recte scriptum esse ‚sperent', quod conicere praeterea sequente disiunctivo membro: ‚nec tibi veniat, cogimur (Nostro sermone: Weder möge dich der Tartarus als Herrscher hoffen, noch möge dich selbst ein solches Gelüste anwandeln). Quam lectionem si probabilem ducimus, optime hic locus refertur ad a. 730, quo Augustum in gravissimum morbum incidisse constat, id quod iam Vanderburgius est opinatus.

Restat ut paucis dicam de v. 41: ‚miseratus agrestes'. Neglectam commendari agriculturam non minus quam Mae-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cenatis Augusti interfuisse scimus: cum a. 726 denuo agri veteranis dissolverentur, Octavianus in agricolas, qui agris spoliabantur, clementissime consuluit, eo quod damnum magna pecunia compensavit. Quo facile conicitur, illa re respecta poetam scripsisse, ‚miseratus' (der sich erbarmt hat).

His argumentis mihi persuasi non ante a. 725 vss. I 24—42 scriptos esse; nunc de eiusdem libri vss. 503—504

iam pridem nobis caeli te regia, Caesar,
invidet, atque hominum queritur curare triumphos

pauca afferam, qui et ipsi posteriore tempore inserti sunt, cum sententiarum nexum ordinemque turbent et omnino a. 719—723 tribui non possint. V. 500 enim dicit poeta: ‚Saeclum eversum est', quae sententia explanatur et illustratur eis, quae sequuntur v. 500: ‚fas versum atque nefas'. v. 506: ‚tam multae scelerum facies', v. 509: ‚hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum', v. 511: „saevit toto Mars impius orbe'. Hunc vero sententiarum ordinem interiectis vss. 503—504 diffindi nemo non videt; neque enim ad priores neque ad sequentes versus apte trahi possunt; quid sibi volunt? ‚Tu solus saeclo everso succurrere potes' (v. 500), sed dei vetant, invident, idque, ‚iam pridem' (v. 503) — cogitationem et deis et poeta indignam! Eidem, quod triumphos Caesar curat, indignantur: at quot triumphos ante a. 723 egerat Octavianus? Scilicet una ovatio ei victo Pompeio a senatu erat decreta; ettamen Forbiger sic interpretatur: ‚Nam vivere et triumphos agere Octavianum poetae adulanti unum idemque videtur'. Ad tantam nolimus credere poetam se demisisse adulationem! Multo probabilius est illos duos versus ad morbum Augusti a. 730 (v. supra ad I 36—37) spectare et a poeta in margine codicis scriptos sententiarum nexu neglecto postea esse insertos.

Transeo ad libri III. vss. 8—39, qui cum annis 718—725 tribui non possint, maximas adhunc paraverunt difficultates.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Jam Heynius de eis dicit: ‚Ei qui omnia in his versibus ad tempora certa revocare vult, statuendum est aut perperam Georgica in extremis versibus libri IV. a. 725 absoluta tradi, aut Georgicis postea nonnulla esse inserta'. Etiam Vossio omnis hic locus posteriore tempore retractatus et suppletus videtur. —

Ad vss. 24—25:

vel scaena ut versis discedat frontibus utque
purpurea intexti tollant aulaea Britanni,

optime referuntur, quae Strabo tradidit IV, 5, 3: *Καὶ οἰκείαν σχεδόν τι παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον* et Dio 53, 22: *Καὶ ἐξώρμησε μὲν ὡς καὶ ἐς τὴν Βρεττανὶαν στρατεῖσων, ἐς δὲ δὴ τὰς Γάλατίας ἐλθὼν ἐνταῦθα ἐνδιέτριψεν· ἐκεῖνοι τε γὰρ ἐπικηρυκεύσασθαί οἱ ἐδόκουν καὶ τὰ τούτων ἀκατάστατα ἔτι, ἅτε τῶν ἐμφυλίων πολέμων εὐθὺς ἐπὶ τῇ ἁλώσει σφῶν ἐπιγενομένων, ἦν, καὶ αὐτῶν καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο καὶ τὸν βίον τήν τε πολιτείαν διεκόσμησε.*

In Servii vero scholio hoc invenimus: ‚Augustus postquam vicit Britanniam, plurimos de captivis, quos abduxerat, donavit ad officia theatralica. Dedit etiam aulaea, i. e. velamina, in quibus depinxerat victorias suas et quemadmodum Britanni ab eo donati eadem vela portarent, quae revera portare consueverant'.

Etsi Augusti loco nomen Julii Caesaris Ribbeckium recte restituisse concedendum est[26]), tamen ad illud Caesaris factum nobis non licet id referre, quod poeta certe Octaviano tribui vult. Neque enim rebus Divi Julii hoc loco Vergilius laudare atque ornare potuit Augustum, praesertim cum inter omnes constet poetas Augustei aevi fere nusquam Julii Caesaris mentionem fecisse quasi timentes, ne illo celebrato Augusti laudes imminuerent et obscurarent.

Sunt ergo revocandi v. 24—25 ad a. 727, ex quo pro victa habebatur Britannia, neque a vero abhorret hoc successu Octaviani memoriam Britannorum a Divo Caesare olim datorum esse renovatam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ad v. 27: ‚victorisque arma Quirini' refertur quod invenimus apud Dionem 53, 16: *ὁ Καῖσαρ ἐπεθύμει μὲν ἰσχυρῶς Ῥωμύλος ὀνομασθῆναι, αἰσθόμενος δὲ ὅτι ὑποπτεύεται ἐκ τούτου τῆς βασιλείας ἐπιθυμεῖν, οὔκετ' αὐτοῦ ἀντεποιήσατο'*.

Quod si concedimus, cum bellis demum civilibus finitis de ‚alterius Romuli' nomine agi potuerit, non nisi post Caesaris reditum ex Asia, i. e. post a. 725, id factum esse non est reiciendum.

De libri III. vss. 32—33:

et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea
bisque triumphatas ab utroque litore gentes

obversatos esse censet Ribbeckius Vergilio triumphos Caesaris a. 708 et Ventidii a. 716 actos et id quidem in hac laudatione Octaviani plus decem annis interiectis! Neque minus a vero Borgii abhorret interpretatio: ‚Nam probabile videtur annis 712 et 718 in Octaviani ovationibus et orientis et occidentis gentes, quamquam nondum prorsus profligatae et devictae erant, ductas esse, quod Vergilius nescio an hic in maius extollat et celebret'.

Orientis et occidentis gentes iam victas, binos triumphos de eis actos, totum orbem terrarum subactum esse dicit poeta. ‚Utroque a litore gentes' sunt extremi orientis et occidentis, per utrumque litus intellegenda ora maris interni et Oceani, non maris superi et inferi (ut victoria de S. Pompeio parta respiciatur, quam poetae efferre nolebant). Ergo si vere atque simpliciter hunc locum interpretari volumus, spectemus necesse est partim ad victoriam Octaviani de Antonio et Cleopatra 723 reportatam et signa Romana a Parthis a. 734 reddita[27]) (Dio 54, 8; Sueton. Octav. 21; Monum. Ancyr.), partim ad deditionem illam Britannorum et victorias de Cantabris partas, qui populus ab Octaviano a. 729 domitus et a. C. Furnio a. 732 devictus et fere deletus est (Dio 54, 5).

Respectis omnibus, quae de v. 24, 25, 27, 32, 33 dicta sunt, affirmare non dubito omnem hunc locum inde a v.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

8 usque ad v. 39 a poeta anno demum 734 esse additum, cum sententiarum nexum hi versus turbent et sequentibus vss. 46—48 repugnent. Quod cum sensisset Peerlkampus hos vss. 46—48 suppositicios habuit[28]): ‚Neminem novi poetam, qui tales ineptias effutierit, quales hic legimus; iam Hurdius pro spuriis habuit, Heynius dicit: abesse forte poterant . . . . sed eliminari et eici omnino debent'.

At non his tribus versibus ordo sententiarum conturbatus et perplexus est, sed illis vss. 8—39, quod Tittlerus argutissime defendit[29]). Hic enim confusos esse vss. 1—48 ex duobus prooemiis et libri tertii prooemium a principio ita compositum esse disseruit:

1: Tequoque, magna Pales, et te memorande canemus
. . . . . .
8: acer equis? 40: dryadum silvas saltusque sequamur
41: intactos. . . .

Et si rem diligentius ponderaverimus, optime inter se cohaerere hos versus inveniemus.

Argumenta quibus Tittlerus usus est afferre longum est; pauca addam: vss. 8—39 non ad Georgica spectare nescio an nemo neget; repugnat enim huic opinioni vox ‚interea' (v. 40), et ‚modo vita supersit' (v. 10); neque de vero templo intelligi possunt v. 13 ss.; nam non templo, sed carmine a poeta nostro Octavianus digne apteque ornari atque coli potest (cfr. v. 11: ‚musas').

Quamquam subtilius Tittlerum in vss. 8—39 allusionem complurium Aeneidis locorum indagasse concedo, tamen Vergilium illis versibus ad Aeneidem respexisse non omnino refutari potest. Quod enim oppositum est in Aeneide res Octaviani non celebrari, id eo diluitur quod Maro a principio ardentes dicere pugnas Caesaris certe in animo habuit, quod probatur Donati vita (p. 60 R. not.): ‚Alii eius sententiae sunt, ut existiment eum, si diutius vixisset, quattuor et viginti libros usque ad Augusti tempora scripturum atque alia quaedam percursurum, Augusti vero gesta diligentissime exsecuturum'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Neque abhorret illud Servii 6, 752: ‚Unde etiam in antiquis invenimus opus hoc appellatum esse non Aeneidem, sed gesta populi Romani', quod item sic interpretandum est Vergilium usque ad Octavianum Aeneidem dilatare in animo habuisse ita ut etiam res populi Romani describeret.

Ipsius vero poetae verbis:

‚mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Caesaris et nomen fama tot ferre per annos
Tithoni prima quot abest ab origine Caesar'

nihil aliud significatur easdempue partes tenet Propert eclog. 2, 34, 61 ss:

Actia Vergilium custodis litora Phoebi
Caesaris et fortes dicere posse rates
qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma
sanctaque Lavinis moenia litoribus,

quo ex loco concludi potest Propertium in Aeneide res Octaviani celebratum iri speravisse.

Qui Georgica a. 725 absoluta et edita esse volunt, vers. II 171—172

‚qui nunc extremis Asiae iam victor in oris
imbellem avertis Romanis arcibus Indum'

et IV 560 ss.

‚haec super arvorum cultu pecorumque canebam
et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum
fulminat Euphraten bello, victorque volentes
per populos dat iura, viamque affectat Olympo —

trahunt ad a. 724, quo Caesar Aegypto pacata in Asiam contendit ibique Parthorum res composuit, auctore Dione 5, 18: *διὰ τῆς Συρίας ἦλθε (ὁ Καῖσαρ) κἀνταῦθα παρεχείμασε, τά τε τῶν ὑπηκόων ὡς ἕκαστα καὶ τὰ τῶν Πάρθων ἅμα καθιστάμενος*'.

Sed durissima est haec interpretatio; non in a. 724, sed a. 734 poetae verba apte conveniunt. Hoc enim anno legati Indorum ab extremis oris Augustum Antiochiae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

adierunt (Strabo XV); hoc anno ad bellandum profectus Caesar fulminat ad Euphraten redditisque signis Parthorum victor putatur, eo demum anno imbellem (i. e. nulla iam amplius bella tentantem, scilicet quod arma tua veretur — Reiske) Indum sive Parthum poeta dicere potuit et volentes populos. Ad a. 724 tracta haec omnia nimis fastuosa, nimis dura videntur. Haud a re duxi simillimum locum Aeneid. 6, 794—795 afferre:

‚super et Garamanthas et Indos
proferet imperium' . . .

qui ab omnibus nulla interpostita dubitatione ad a. 734 revocatur.

Reliquum est, ut quo tempore vss. I 24—42; 503—504; III 8—39; II 171—172; IV 560 ss. insertos esse dicam.

Atque quin fabula Aristaei post a. 728 scripta sit, dubium esse non potest; vss. I 24—42 ei potissimum tempori tribuendi sunt, quo opinio Divi Augusti iam in vulgus abierat, (sane post a. 727); v. 27 optime ad a. 732 refertur; v. 37 et 503—504 ad a. 730 spectant; III 8—39, II 171—172, IV 560 ss. rectissime referuntur ad a. 734, ut sic concludam: Vergilius quo tempore in Graeciam profecturus erat (734/735) Georgica iterum limavit, emendavit, illos locos addidit; eodemque fere tempore aut a poeta ipso aut post eius mortem a Vario et Tucca Georgica iterum sunt edita.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Notae.

[1]) Haec commentatio iam abhinc plus quinquennium absoluta variis de causis nunc demum in lucem edi potuit.

[2]) De Georgicis a Vergilio emendatis. Berlin 1873.

[3]) De temporibus, quibus Vergilii Georgica scripta et emendata sint. Halle 1875.

[4]) Progr. Neu-Strelitz 1864, p. 3.

[5]) Progr. Brieg 1875, p. 16, 17, 21.

[6]) l. c. p. 71.

[7]) Forbiger, Dissert. de Vergilii vita et carminib. p. XXIV, not. 48. Thilo, Vergilii Georgica, annot. briticae XXIV, 4.

[8]) Schaper, l. c. p. 2.

[9]) l. c.

[10]) l. c. p. 16.

[11]) Hist. litt. Rom. ed. 4 p. 457.

[12]) l. c. p. 2.

[13]) l. c. p. 21.

[14]) Prolegom p. 30.

[15]) l. c. p. 3.

[16]) Mnemos. X. 123.

[17]) Borgius, l. c. p. 15; Glaser, Annal. philos. 74; Forbiger, alii.

[18]) Proleg. p. 46.

[19]) l. c. p. 11, 17.

[20]) Ribb. p. proleg. p. 15.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

[21]) i. e. non nisi in provinciis, Asiae potissimum, divinis honoribus est auctus.

[22]) Annal. phil. 84.

[23]) l. c. p. 6.

[24]) l. c. p. 15.

[25]) cfr. Horat. carm. I. 21, 13, quod carmen a Kirchnero probabilius ad a. 732 redigitur quam a Franckio ad a. 726.

[26]) l. c. p. 20.

[27]) Redditis signis Parthos ab Octaviano victos esse tunc omnes censebant Romani.

[28]) Mnemosyn. X. 232.

[29]) l. c. p. 12, 17.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf